

nomen imposuerit, quæcumque insuper Imperatores privatim decreverant, in duodecim libris scripserunt, quos Codices sive Constitutiones Imperiales nominaverit: id inquam, quod de his Pandectis & Codice Adriani scribunt, de illo altum est apud Veteres & Justinianum ipsum silentium. Justinianus enim in Proœmio Digestorum, *Edicti perpetui* meminit quidem, quod scilicet Hadrianus Imperator per Salvium Julianum condidisset; sed neque edictum illud Imperiales Constitutiones continebat, neque in quinquaginta libros distributum, erat: Edicta quippe Prætorum dumtaxat complectebatur; Justinianus autem non ex Codice illo, qui Salvium Julianum habuit auctorem, quique ad Hadrianum vulgo refertur; sed ex duobus millibus pene librorum, quos Veteres Jurisconsulti scriptos reliquerant, Pandectarum opus in libros quinquaginta divisum digessit. En Justiniani verba *De Conceptione Digestorum* ad Tribonianum (1) Quæstorem: „Cumque hæc materia, summa nostri numinis liberalitate collecta fuerit, oportet „eam pulcherrimo opere extruere, & quasi proprium „& sanctissimum templum Justitiæ consecrare: & in libros quinquaginta & certos titulos totum jus digerere, „tam secundum nostri Constitutionem Codicis, quam „Edicti perpetui imitationem, prout hoc vobis commodius esse patuerit, ut nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum, sed his quinquaginta libris totum jus antiquum per millesimum & quadringentesimum pene annum confusum, & a nobis purgatum, „quasi quodam muro vallatum, nihil extra se habeat. *Et in Epist. (2) ad Theophilum, Dorotheum, Theodorum, Isidorum, Anatolium, Thalleseum, Cratinum, & Salaminium.* „Omnem (*inquit*) Reipublicæ nostræ sanctionem jam esse purgatam & compositam tam in quatuor libris Institutionum seu Elementorum, quam „in Quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, necnon in duodecim Imperialium Constitutionum, quis „amplius, quam vos, cognoscit? *& infra.* Et antea „quidem, quemadmodum & vestra scit prudentia, ex „tan-

(1) Pandect. Florentin. in Proœmio Tom. I.

(2) Ibid.